



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens ad viginti sex Quæstiones priores, centum & septem
Disputationes in Capita diuisas

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1621

Diluuntur argumenta contra eandem doctrinam. c. 6.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80983](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80983)

Primum argumentum contra doctrinam Catholicam soluitur.

Non solum contra Iovinianum asseruimus, secundum fidem Catholicam in ipsamet visione Dei diuersa futura premia Beatorum, verum etiam iuxta varietatem meritum presentis vite distribuenda esse: id quod de hominibus, & de Angelis intelligendum est.

Verum Ioannes Maior in 4. dist. 49. quest. 11. obijcit, nullo modo fieri posse, ut Angelus, & homo, qui aequalia merita in via habuerunt, aequali etiam visionem Dei pro premio consequantur. Quoniam cum intellectus Angeli, quae est propria ipsius passio & intellectus hominis specie differant, necesse est operationes eorum specie differre: quae enim diuersis principijs secundum speciem postulant produci, specie differunt: contra vero, quae sunt eiusdem speciei, & naturae, ab eodem secundum speciem principio fieri postulant. Si vero operationes intellectus Angelici & humani sunt specie diuersae, consequitur esse etiam visiones specie diuersas, quibus Deum vident: quod si visiones specie differunt, fit ut vna alia perfectior sit: ac proinde quantumuis vna intensior fiat, nunquam ad alterius perfectionem peruenire possit.

Respondet Maior intellectum quidem Angeli, & hominis specie differre: ac proinde intellectiones, imo & visiones etiam, quas habent de Deo, ut argumentum propositum probat; pro diuersitate tamen meritum posse ab intellectu humano Deum perfectius videri, quam ab Angelo, si ipsa visio, quam habet homo, intra latitudinem suae speciei, & naturae secundum intentionem perficiatur: quemadmodum aurum, quod natura sua secundum speciem perfectius est argenteo, si fiat argenteo additamentum secundum multitudinem, potest ab argenteo in valore superari.

Verum haec solutio mihi non placet, quoniam species inter se non eo in infinitum distare dicuntur, quod vna alia infinite perfectior sit: omnes enim finitae sunt perfectionis, sed quod inferior, quantumuis aliunde perficiatur, nunquam ad superioris naturam, & perfectionem peruenire queat: quocirca infinito spatio, quod non valet pertransiri, distare videntur. Exemplum quoque diuersum est: quia quantumuis argentum multiplicetur, tamen in estimatione hominum, quod ad contractus, & utilitatem praesentis vitae pertinet, possit esse autem ipso pretiosius; ad naturalem tamen auri naturam, & perfectionem peruenire non potest. Sic igitur visio Dei, quae est ab humano intellectu, si inferioris naturae secundum speciem est, visio, quae ab intellectu Angelico producitur naturali perfectione exaequari non poterit: ac proinde perfectiori modo Angelus beatus erit, etiam si visio, quam de Deo habet, remissior sit.

Respondeo itaque ad argumentum cum Durand. in 3. d. 14. q. 1. num. 8. & Dominico Soto in 4. dist. 49. quest. 3. art. 2. visionem Dei in Angelo & homine eiusdem esse naturae secundum speciem: quare non sequi absurdum, quod contendebat. Probat vero Durand. quia gratia & merita in homine, & Angelo sunt eiusdem speciei: ergo visio Dei, quae

respondet, ut premium erit eiusdem speciei. Alij probant ex illo Matth. 22. & Luc. 20. *Erunt sicut Angeli Dei*, sed nullus est ex Patribus, neque ex recentioribus Scripturae interpretibus, qui locum illum sic intelligat: ibi enim non de visione, sed de incorruptione futurae vitae agitur, ut notauit art. 1. huius q. disp. 37. c. 2.

Multo igitur melius id probatur: quia quamuis intellectus Angeli, & hominis specie distinguantur, & effectus, qui natura sua postulant à diuersis secundum speciem causis produci, specie differant; non sequitur, visionem Dei ab intellectu Angelico productam, ab ea, quae est ab humano, specie differre: nam diuersitas secundum speciem ex diuersitate principij specijfici, & particularis, non generici desumenda est: ad visionem autem Dei siue ab Angelo, siue ab homine producatur, idem omnino principium specijficum, & particulare requiritur: nempe aut lumen gloriae, aut ipsamet essentia diuina loco speciei: quae duo eadem omnino sunt in intellectu Angelico, & humano; & vniuersalem intellectus efficacitatem ad speciem visionis Dei determinant. Atque eadem ratio est de dilectione charitatis in voluntate Angeli, & hominis: quia idem est principium particulare, & specijficum, nempe charitas: hanc rationem indicat Sotus loco allegato.

CAPVT VI.

Diluitur secundum argumentum contra eandem doctrinam.

Est aliud difficile sane argumentum, quod plures Scholasticorum in varias sententias diuiserunt, & est huiusmodi: contingere potest, ut duo homines habeant in hac vita aequalia merita, quorum alter meliori intellectu praeditus sit: tunc autem pro qualitate meritum aequale lumen gloriae consequentur: cum aequali autem lumine, qui perfectior est perfectius operabitur, ergo perfectius Deum videbit, hoc argumento conuicti quam plures Nominales, quos 1. 2. quest. 3. art. 2. disput. 2. allegabimus, dixerunt visionem beatificam, & amorem charitatis in patria, non esse operationes elicatas ab anima, sed à solo Deo beatis infusas, atque hac ratione effugiunt vim argumenti, & ostendant quomodo imperfectior intellectus cum aequali lumine aequaliter Deum videre possit, atque perfectior.

Verum, quia impossibile existimo, operationem vitae, qualis est cognitio, & appetitio, à solo Deo sine facultates viuientis produci, ideo alio modo respondendum est. Et sanè, quod ad praesentem quaestionem attinet, facili negotio argumentum dissolui posset, nam si perfectior intellectus cum aequali lumine perfectius videret, posset Deus, obseruata debita meritum proportionem, perfectiori intellectui, qui aequalia cum alio minori intellectui habuit merita, tanto minus de lumine gloriae conferre, quanto reuera opus esset, ut aequaliter Deum verque videret, & sic aequale meritis premium consequeretur.

Ceterum occasione huius argumenti, rem altius examinare libet, ut videamus vnde nam mensura visionis sumenda sit; vtrum ex perfectione intellectus naturali, an ex quantitate luminis, in qua re Doctores, qui affirmant visionem ab ipso intellectu produci, varie sentiunt.

31

Luc. 20.

Similit. et actus caritatis.

32

Opinio Nominalem.

Repudiatur.

33

Dulcium.

Ricardus

29
Maior, Angelus, & hominis pro aequali meritis aequalia premium assignat.

30

Cuius species infinita distat in maiorem diuersitate.

Durand. Soto. Visio Dei in homine & Angelo eiusdem speciei.

Prior opin.
Ricard.
Maior.
Secus.
Durand.
Holcot.
Argum. 1.

Ricardus in 4. dist. 49. ar. 2. q. 8. Maior q. 10. ad 7. argum. Scotus in 4. d. 50. q. 6. Durand. in 3. d. 14. q. 1. ad ultim. Robertus Holcot. in suis determinationibus q. 8. art. 1. ad 4. asserunt à perfectiori intellectu aequali gloriæ lumine instructo perfectius videri Deum. Hæc sententia probatur, primum quoniam perfectior causa cum aequali instrumento non solum perfectius operatur; verum etiam æqualis causa cum perfectiori instrumento, ut omnibus manifestum est: ergo siue dicamus intellectum esse causam principalem, lumen vero instrumentum illius, siue contra; semper debemus asserere, ab intellectu perfectiori cum aequali lumine perfectius Deum videri. Atque hoc idem sequitur, si dicamus nec intellectum esse instrumentum luminis, nec contra: sed esse duas subordinatas causas ad eundem effectum per modum vnius concurrentes. Hinc enim etiam sequitur, perfectiorem futuram visionem à perfectiori intellectu: nam quo perfectior est causa, quæ ad eundem effectum aliam adiuuat, perfectior effectus fit.

Secundum
argument.
34

Deinde sicut perfectior intellectus cum aequali specie perfectius operatur, eodem pacto cum maiori lumine gloriæ melius Deum videbit: neque hoc solum in formis naturalibus contingit, sed etiam in supernaturalibus: nam perfectior intellectus cum eodem habitu fidei, plura mysteria multo melius penetrat, quàm intellectus minus perfectus.

Confirmatur

Sotus.
Posterior
opinio vera.

Mihi vero probatur opinio Soti in 4. d. 49. q. 3. art. 2. & recentiorum, qui docent mensuram visionis omnino sumendam esse ex quantitate, & perfectione luminis: nullo tamen modo ex efficacia nativæ intellectus. Hanc tamen sententiam varie explicant, qui eam sequuntur: quare varie quoque ad obiectiones prioris opinionis respondent. In primis Sotus hanc reddit rationem: quia cum actio sit supra naturam hominis, sequi debet mensuram luminis, quod est principium supernaturale, sicut cum aqua calefecit calore sibi super suam naturam communicato, tota mensura calefactionis calori, qui est in aqua, respondet. Exemplum hoc maximè vim habet contra Caiet. & aliquos Philosophos, qui putant intellectum ex se nullam habere efficacitatem ad intelligendum, sed totam ipsi ab specie communicari, sicut aqua à calore, penes hoc, quod cum ea fit magis vnum, quam ex materia & forma. Si enim in nobis tota virtus ad agendum est ipsa species, erit etiam lumen gloriæ in Beatis tota virtus ad videndum Deum: quandoquidem est loco speciei, aut est ipsamet species essentia diuinæ.

Prima eius
explicatio.

Est in suffi-
ciens.

Caietan.
35

Verum in eorum sententia, qui dicunt intellectum ex se esse secundum ad intelligendum, quamvis eius efficacia, quod communis, & generica sit, compleri debeat aliqua forma peculiari ad hunc effectum, quam alium producendum, exemplum prædictum nullius ponderis est. Aqua enim ita per calorem sibi coniunctum calefacit, ut ipsa cum illo nihil conferat virtutis, sed tota efficacia sit ipsius caloris, ac si vero sit subiectum tantum, cui calor adhærescit, ut existere possit, & operari: quare à Philosophis vehiculum caloris appellari solet: intellectus autem aliquid confert efficacitate sua ad visionem: imo ita ab eo visio effectuali connexionem pendet, ut Deus illius concursum cum lumine supplere nequeat: ut 1. 2. quæst. 3. art. 2. dicemus. Manet igitur difficultas argumentorum prioris sententia.

Alij distinguunt duo in visione Dei, substantiam nempe illius, & modum: substantiam dicunt esse naturalis ordinis, eamque ab intellectu virtute sua naturali productam: quare mensuram illius hoc modo, ex naturali virtute intellectus sumendam esse: modum autem esse supernaturalem, & à solo lumine, ut propria causa pendere: indeque mensuram perfectionis illius provenire: beatitudinem vero non esse solum visionem secundum esse naturale, quod habet; sed secundum modum supernaturalem ipsius: ac proinde cum aequali lumine æqualem esse semper beatitudinem.

Hæc sanè doctrina, & distinctio, si vera esset, omnem profus difficultatem prioris sententiæ de medio tolleretur: cum tamen sit planè commentitia, non poterit hoc pacto posterior sententia defendi, aut explicari: figmentum autem huius doctrinae sic ostenditur. Ut in visione clara Dei illa duo distinguamus, oportet prius constituere aliquam cognitionem in specie productam, cui modus supernaturalis, veluti accedens, adueniat: atqui non possumus aliquam huiusmodi operationem ibi assignare, quæ naturalis natura sua sit, neque modum ei additum intelligere: ergo ea distinctio commentitia est. Nullam autem esse operationem in visione, quæ natura sua naturalis sit, constat, nam operatio illa secundum substantiam naturalis, debet esse cognitio alicuius obiecti non alterius, quam ipsius Dei, ergo vel est clara cognitio, & intuitiva, vel obscura, & non intuitiva: non siquidem obscura: sic enim esset fidei, aut qualem de illo in via habemus, quare claritas ei deinde aduenire non posset, ut fieret intuitiva, sic enim omnino mutaretur, non clara, & intuitiva, hæc enim omnino supra naturam est, nec ad eam homo vi sua naturali potest pervenire, nulla igitur excogitari potest cognitio naturalis secundum substantiam, cui modus supernaturalis adueniat, ut fiat clara visio Dei, sicuti ipse est, sed neque modus ille excogitari, nedum explicari potest, qualis nempe natura sit, in quo consistat, & quo pacto operationi intellectus adueniat, potius ergo effugium hoc sine fundamento excogitatum videtur quam verum.

Tertio nonnulli propius ad rem ipsam accedentes, posteriorem opinionem confirmant, & argumento prioris respondent hoc modo, cum lumen gloriæ sit principalis causa visionis, intellectus autem sit instrumentum; visio debet sequi perfectionem, & mensuram luminis, non intellectus. Cæterum quamvis in materia subiecta, hoc verum sit; tamen in vniuersum non ita accidit, nam, sicut pro priori sententia dicebamus, æqualis causa cum instrumento perfectiori melius operatur, sicut idem faber lignarius meliori dolabra, aut ferrâ melius scannum, vel cathedram facit, quare eodem modo adhuc manet difficultas proposita pro priori sententia, cui ut plane satisfiat, oportet aliquid aliud dicamus, & rem hanc penitus examinemus.

Huius igitur rei gratia præmittendum est primum, lumen gloriæ esse veluti causam principalem visionis, intellectum vero veluti instrumentum subiectum virtuti, & efficacitati luminis: eo quod visio sit operatio supernaturalis, & ordinis superioris, cuius est lumen, & intellectus à lumine eleuari dicatur ad talem operationem super ordinem naturalem ipsius, ergo aliter comparatur

Secundum
opinionem.

36

37

Tertia alio-
rum explicatio.

Non est in
vniuersum
vera.

Primum fas-
tigiolum.

38

tur lumen gloriæ cum nostro intellectu, quam species impressa à rebus acquisita; hæc enim non eleuat intellectum, nec ipsum agit, vel virtutem ipsi imprimit: quin potius intellectus secundum reddit speciem, & ad visionem eam mouet, & eleuat, & quasi instrumentum sibi subiectum habet: tamen efficiacitas vniuersalis, & veluti generica, intellectus determinatur & compleatur specie ad hanc potius intellectiōem, quam illam eliciendam.

Deinde notandum est, aliter comparari intellectum nostrum cum lumine gloriæ per modum instrumenti, quam dolabram, vel ferram cum artificem: hæc enim fabri instrumenta habent ex se actionem quandam propriam, nempe scissionem, cui veluti subiecto accidit effectus artis, modus scilicet, quo scissio ipsa redditur (vt dici solet) artificiosa: hinc fit, vt ipsa perfici possit in ratione scissionis, etiam si non perficiatur in ratione artificiosæ: quare equalis artifex cum meliori dolabra melius opus facit artificiosum quatenus opus artificiosum duobus constat, & scissione, quæ meliori instrumento melior fit, & modo artis, qui ab equali arte æque perfectus procedit. Contra verò, quia modus artis supponit actionem illam sciendi, eo minus perfectum fit opus ab equali arte, quo minus aptum est instrumentum: nam modus artis fundamentum habet in scissione, & inde etiam impeditur potius intellectus vero, & lumen ad eandem visionem concurrat sicut duæ causæ inter se ordinatæ: altera est vniuersalis secundum rationem genericam operationis, nempe intellectus ad intellectiōem, quatenus intellectio est altera particularis, secundum rationem specificam, scilicet lumen gloriæ ad intellectiōem, quatenus clara, seu intuitiva est ipsius Dei.

Hinc propositæ difficultati facillè respondetur, atque posterior opinio probatur. Cum enim effectus aliquis perfici non possit secundum rationem genericam, quam secundum specificam perthetur, quia est idem secundum rem indiuiduus, efficitur visionem perfici non posse ea parte, qua ab intellectu perfectiori est, scilicet in ratione intellectiōis. quin etiam perficitur quatenus lumine procedit, nempe in ratione talis intellectiōis. Quod si lumen in duobus intellectibus est æquale, etiam si alter perfectior sit; sequitur, visionem futuram æqualem: nam quatenus est talis, æque perfecta debet esse, cum sit ab æquali lumine: aliunde vero perfici non potest, nisi prout est talis, perficiatur: ergo in utroque eodem modo manebit. Quare intellectus ad visionem sic se habebit, sicut causæ vniuersales ad particulares effectus. Sicut enim earum vniuersalis virtus talis est, vt possit meliorem, & meliorem effectum producere, limitatur tamen, & definitur iuxta id, quod postulat secunda causa, cui coniungitur, nec meliorem effectum producit, quam exposcit virtus secundæ causæ, quæ modificatur vniuersalem, sic intellectus noster, qui ex se vniuersalem virtutem habet, atque meliorem & meliorem posset visionem producere, ita determinatur lumine gloriæ ad hanc visionem, vt cum eodem lumine perfectiorem producere nequeat. Eodem pacto de voluntate cum habitu charitatis dicendum est.

Deartifice vero, & instrumento alia est ratio: cum enim non concurrant ad eundem effectum secundum speciem, sed in effectum duo sint speciei

Vulquez in 1. part. Tomus I.

omnino diuersa, nimirum scissio, & modus artificiosus, potest effectus perfici ea parte, qua scissio est, etiam si non perficiatur secundum modum artificiosum, & ita cum meliori instrumento equalis ars effectum producit meliorem. Tum etiam cum scissio ipsa, secundum rationem scissionis, maxime conducatur ad modum artificiosum, vt explicatum est: fit etiam, vt item artifex cum meliori instrumento meliorem etiam modum artificiosi operis efficiat.

De intellectu autem cum specie à rebus acquisita non est eadem ratio, atque de ipso cum lumine gloriæ. Species enim ita est veluti particulare agens modificans vniuersalem virtutem intellectus, sicut diximus de lumine, vt subiaceat veluti instrumentum ipsi intellectui, & ab eo secunda efficiatur: quare ab eo quoque mouetur secundum maiorem, aut minorem conatum, quem adhibet, vt minorem, vel maiorem effectum producat: ita vero lumen gloriæ, cum sit supernaturalis ordinis, eleuat intellectum, potentem reddit ad videndum, & ipsum mouet: imo post se sua virtute rapit iuxta id totum, quod potest: quo fit, vt eodem semper modo Deum videat, nec possit visionem aliquantulum remittere: merito ergo diximus, mensuram visionis ex ipso lumine debere desumi. Ex his vero, quæ dicta sunt, non solum nostra sententia explicata, & confirmata satis manet, sed etiam duo argumenta prioris omnino soluta.

Superest, vt ad illud, quod in confirmationem secundi argumenti afferbatur de intellectu perfectiori circa mysteria fidei cognoscenda, aliquid dicamus. In actu igitur fidei duo possunt distingui: vnum est quasi materiale, cognitio videlicet, & apprehensio, seu explicatio mysteriorum, quæ cum non fiat per species infusas, sed acquisitas, & acquisitis perfectior intellectus perfectior utatur, vt proxime dicebamus; sequitur in meliori intellectu perfectiorem esse: & ita Doctor Angelicus multo melius mysteria nostræ fidei apprehendit, & explicat, quam ignorans & rusticus. Alterum est assensus propositionis, qui est ab habitu fidei: & hic non est perfectior, quo perfectior est intellectus, sed quo perfectior est habitus, & maior est diuina gratia excitatio. Neque enim semper vitmur habitu fidei aut alio infuso secundum totam vim, & efficacitatem, quam habet, sed prout gratia excitans ad consensum, & assensum mouet.

Verum obijciat aliquis hoc modo: intellectus noster potest magis, & minus vt habitu fidei, & voluntate habitu charitatis: ergo non est sumenda tota mensura efficacitatis ex habitu, sed ex conatu voluntatis nostræ, & intellectus. Respondeo non posse nos perfectiorem actum habere, quam postulat ipse habitus, & virtus illius, nisi Deus suppleat auxilio suo efficaciam eius, vnde mensura operationis supernaturalis ex habitu sumenda est ad hunc sensum, vt ipse saltem efficacitatem non excedat; tamen si possit interdum homo his habitibus remissius operari, eo quod in hac vita non mouemur ab illis necessario, sed nostræ subdantur libertati: at lumen gloriæ ita necessario impellit intellectum ad videndum Deum, sicuti est, vt nec minus, nec magis clare ipsum videre possit, quam virtus luminis exposcit.

Vltimo denique breuiter explicandū est, quo pacto in beatis visio Dei possit esse maior, & minor;

X 2

clarior

Aliter modificatur conatus intellectus speciei quam lumine gloriæ.

Ad primum, nostra sententia explicata, & confirmata satis manet, sed etiam duo argumenta prioris omnino soluta.

Ad confirmationem

Apprehensio mysteriorum fidei perfectior est in intellectu perfectiori.

Assensus eorum non semper.

Perfectio actuum supernaturalium quomodo mensuretur, ex habitu.

Per magis
claram visio-
nem nihil
Deo cernitur
de nouo.

clarius & minus clara absque eo; quod per clario-
rem visionem appareat aliquid in Deo, quod per
aliam minus claram non apparebat: in visione
namque corporea nunquam contingit aliquid
clarius videri, quin in re visa aliquid nouum ap-
pareat. Dicendum igitur est, in Deo, quod sim-
plicissimus sit, nihil posse nouiter apparere, quan-
tumuis visio clarius reddatur: quoniam cum sim-
plicissimus sit, aut totum, quod in ipso est, videtur,
aut nihil. In re autem corporea visibili, vel secun-
dum intensionem, vel secundum extensionem sem-
per nouum aliquid apparet, quo magis visio per-
ficatur. Porro sicut in re corporea, cum clarius vi-
detur, non solum aliquid nouum apparet; sed id
quod apparebat, clarius videtur; sic in visione Dei
dicendum est, id ipsum, quod minus clara visione
videtur, per clariorem perfectius, & clarius appa-
rere: habet autem perfectio est in ipsa visione, quæ
sicut habet gradus intensionis, sic etiam habet cla-
ritatis; nec in hac re amplius immorandum existi-
mo, in qua aliqui recentiores multa comminiscun-
tur, & absque fructu laborant.

44

ARTICVLVS VII.

Utrum videntes Deum per essentiam ipsum
comprehendant.

61
4. d. 49. q. 1.
a. 3. Et 3. con-
tra c. 53. Et
uari. q. 3. a. 2.

AD septimum sic proceditur: Vi-
detur, quod videntes Deum per
essentiam, ipsum comprehen-
dant. Dicit enim Apostolus Philip. 3.
Sequor autem si quomodo comprehen-
dam. Non autem frustra sequebatur.
Dicit enim ipse 1. Corinth. 9. Sic cur-
ro non quasi in incertum. Ergo ipse com-
prehendit, & eadem ratione alii, quos
ad hoc inuitat dicens, sic currite vt com-
prehendatis.

Epist. 112. c.
9. circa prin-
cipium.

2. Præterea, Vt dicit Augustinus. lib. de
videndo Deum ad Paulinam: illud com-
prehenditur, quod ita totum videtur, vt
nihil eius lateat videntem, sed si DEVS
per essentiam videtur, totus videtur, & ni-
hil eius latet videntem: cum Deus sit sim-
plex: ergo à quocumque videtur, per es-
sentiam comprehenditur. Si dicatur, quod
videtur totus: sed non totaliter. Contra,
Totaliter, vel dicitur modum videtis, vel
modum rei visæ. Sed ille, qui videt Deum
per essentiam, videt eum totaliter, si signi-
ficetur modus rei visæ, quia videt eum
sicuti est: vt dictum est. Similiter videt eum
totaliter, si significetur modus videntis:
quia tota virtute sua intellectus Dei essen-
tiam videbit. Quilibet ergo videns Deum
per essentiam, totaliter eum videbit. Er-
go eum comprehendet.

Art. præc.

Sed contra est, quod dicitur Ierem. 22.
Fortissime, magne, potens, Dominus, ex-
ercituum nomen tibi: magnus confusio, &
incomprehensibilis cogitatu: ergo com-
prehendi non potest.

Respondeo dicendum, quod compre-
hendere Deum impossibile est cuiun-
que intellectui creato: attingere vero
mente Deum qualitercunque, magna est
beatitudo, vt dicit August. Ad cuius
evidentiam sciendum est, quod illud
comprehenditur, quod perfecte cogno-
scitur, perfecte autem cognoscitur quod
tantum cognoscitur, quantum est cogno-
scibile vnde si id quod est cognoscibile per
scientiam demonstratiuam opinione te-
neatur, ex aliqua ratione probabili con-
cepta, non comprehenditur: puta si hoc,
quod est triangulum habere tres angulos
æquales duobus rectis aliquis sciat per
demonstrationem, comprehendit illud.
Si vero aliquis eius opinionem accipiat
probabiliter, per hoc quod à sapientibus,
vel pluribus ita dicitur, non com-
prehendit ipsum, quia non pertinget ad
illum perfectum modum cognitionis,
quo cognoscibilis est: nullus autem in-
tellectus creatus pertingere potest ad il-
lum perfectum modum cognitionis Di-
uinæ essentiae quo cognoscibilis est, quod
sic patet. Vnumquodque enim sic co-
gnoscibile est secundum quod est ens
actu. Deus igitur, cuius esse est infinitum,
vt supra ostensum est, infinite co-
gnoscibilis est. Nullus autem intelle-
ctus creatus potest Deum infinite cogno-
scere. In tantum enim intellectus crea-
tus diuinam essentiam perfectius, vel
minus perfecte cognoscit, in quantum
maiori, vel minori lumine gloriæ per-
funditur. Cum igitur lumen gloriæ
creatum in quocumque intellectu crea-
to receptum non possit esse infinitum,
impossibile est, quod aliquis intellectus
creatus Deum infinite cognoscat. Vn-
de impossibile est, quod Deum compre-
hendat.

9.7. art. 1.

Ad primum ergo dicendum, quod
comprehensio dicitur dupliciter. Vno
modo strictè, & propriè secundum quod
aliquid includitur in comprehendente.
Et sic nullo modo Deus comprehenditur,
nec intellectu, nec aliquo alio:
quia cum sit infinitus, nullo finito in-
cludi potest: vt aliquid finitum eum in-
finite capiat: sicut ipse infinitus est. Et
sic de comprehensione nunc queritur.
Alio modo comprehensio largius sumi-
tur secundum quod comprehensio in-
secutioni opponitur. Qui enim attingit
aliquem, quando iam tenet ipsum,
comprehendere eum dicitur. Et sic
Deus comprehenditur à Beatissimis, secundum
illud Cantic. 3. Tenui eum, nec dimittam.
Et sic intelliguntur auctoritates
Apostoli

Apostoli de comprehensione. Et hoc modo comprehensio est vna de tribus dori-
bus animæ, quæ respondet spei, sicut visio
fidei, & fructio caritati. Non enim apud
nos omne quod videtur, iam tenetur, vel
habetur, quia videntur interdum distan-
tia, vel quæ non sunt in potestate nostra.
Neque iterum omnibus, quæ habemus,
fruihur: vel quia non delectamur in eis,
vel quia non sunt ultimus finis desiderii
nostri: vt desiderium nostrum impleant,
& quietent. Sed hæc tria habent Beati
in Deo, quia, & vident ipsum, & viden-
do tenent sibi præsentem in potestate ha-
bentes semper cum videre, & tenentes
fruuntur, sicut ultimo fine desiderium
implent.

Ad secundum dicendum quod non
propter hoc Deus incomprehensibilis di-
citur, quasi aliquid eius sit, quod non
videatur: sed quia non ita perfecte vide-
tur sicut visibilis est: sicut cum aliqua
demonstrabilis propositio per aliquam
probabilem rationem cognoscitur, non
est aliquid eius, quod non cognoscatur,
nec subiectum nec prædicatum: nec com-
positio: sed tota non ita perfecte cogno-
scitur, sicut cognoscibilis est. Vnde
Augustin. definiendo comprehensionem
dicit, quod totum comprehenditur vi-
dendo, quod ita videtur, vt nihil eius
lateat videntem: aut cuius fines circum-
spici, vel circumscribi possunt: tunc enim
fines alicuius circumspiciuntur, quando
ad finem in modo cognoscendi illam rem,
peruenitur.

Ad tertium dicendum: quod totaliter
dicit modum obiecti: non quidem ita
quod totus modus obiecti non cadat sub
cognitione, sed quia modus obiecti non
est modus cognoscentis. Qui igitur vi-
det Deum per essentiam, videt hoc in eo,
quod infinite existit & finite cognoscibi-
lis est. Sed hic infinitus modus non com-
petit ei, vt scilicet ipse infinite cognoscat.
Sicut aliquis probabiliter scire potest ali-
quam propositionem esse demonstrabi-
lem, licet ipse eam demonstratiue non
cognoscat.

Conclusio articuli est, *Videntes clarè Deum, ipsum
non comprehendunt in cuius explicationem, &
expositionem mentis S. Th. disp. 52. & seq. plura
dicturi sumus.*

ARTICVLVS VII.

*Vtrum videntes Deum per essentiam omnia in
Deo videant.*

AD octauum sic proceditur. Vi-
detur, quod videntes Deum per
essentiam omnia in Deo videant.
Vasquez in 1. pari. Tomas I.

Dicit enim Gregor. in 4. dial. Quid est,
quod non videant, qui videntem omnia
vident? sed Deus est videns omnia: ergo
qui vident Deum, omnia vident. Item qui-
cunque videt speculum, videt ea, quæ in
speculo resplendent. Sed omnia quæcun-
que fiunt, vel fieri possunt, in Deo resplen-
dent, sicut in quodam speculo: ipse enim
omnia in seipso cognoscit: ergo quicum-
que videt Deum, videt omnia, quæ sunt,
& quæ fieri possunt.

2. Præterea, Qui intelligit id, quod
est maius, potest intelligere minima, vt
dicitur 3. de Anima. Sed omnia, quæ
Deus facit, vel facere potest, sunt mi-
nus quam eius essentia: Ergo quicum-
que intelligit D E V M, potest intellige-
re omnia, quæ Deus facit vel facere
potest.

3. Præterea, Rationalis creatura om-
nia naturaliter scire desiderat. Si igitur
videndo Deum non omnia sciatur: non
quietatur eius naturale desiderium, & ita
videndo Deum non erit beata: quod est
inconueniens. Videndo igitur Deum om-
nia scit.

Sed contra est, quod Angeli vident
Deum per essentiam, & tamen non om-
nia sciunt. Inferiores enim Angeli pur-
gantur à superioribus à nescientia: vt di-
cit Dionys. 7. capit. celest. Hierarch. Ipsi
etiam nesciunt futura contingentia, &
cogitationes cordium. Hoc enim scilicet
Dei est. Non ergo quicumque vident Dei
essentiam, vident omnia.

Respondeo dicendum, quod intelle-
ctus creatus videndo diuinam essentiam
non videt in ipsa omnia, quæ facit D E V S,
vel facere potest. Manifestum est enim,
quod sic aliqua videntur in D E O, secun-
dum quod sunt in ipso, Omnia autem alia
sunt in Deo, sicut effectus sunt virtute in
sua causa. Sic igitur videntur omnia in
Deo, sicut effectus in sua causa. Sed mani-
festum est, quod quanto aliqua causa per-
fectius videtur, tanto plures eius effectus
in ipsa videri possunt. Qui enim habet in-
tellectum eleuatum, statim vno principio
demonstratiuo proposito, ex ipso multa-
rum conclusionum cognitionem accipit.
Quod non conuenit ei, qui debiliore in-
tellectus est, sed oportet quod ei singula
explanentur. Ille igitur intellectus potest
in causa cognoscere omnes causas effe-
ctus, & omnes rationes effectuum, qui
causam totaliter comprehendit. Nullus
autem intellectus creatus totaliter Deum
comprehendere potest, vt ostensum est.
Nullus igitur intellectus creatus, videndo
Deum, potest cognoscere omnia, quæ Deus
facit,

facit, vel facere potest. Hoc enim esset comprehendere eius virtutem. Sed horum, quæ Deus facit, vel facere potest, tanto aliquis intellectus plura cognoscit, quanto perfectius Deum videt.

Ad primum ergo dicendum, quod Gregor. loquitur quantum ad sufficientiam obiecti, scilicet Dei, quod quantum in se est, sufficienter continet omnia, & demonstrat. Non tamen sequitur, quod unusquisque videns Deum omnia cognoscit: quia non perfecte comprehendit ipsum.

Ad secundum dicendum, quod videns speculum non est necessarium, quod omnia in speculo videat nisi speculum visu suo comprehendat.

Ad tertium dicendum, quod licet maius sit videre Deum, quam omnia alia tamen maius est videre sic Deum, quod omnia in eo cognoscantur, quam videre sic ipsum: quod non omnia, sed pauciora, vel plura cognoscantur in eo. Iam enim ostensum est, quod multitudo cognitorum in Deo, consequitur modum videndi ipsum, vel magis perfectum, vel minus perfectum.

Ad quartum dicendum, quod naturale desiderium rationalis creaturæ est ad sciendum omnia illa, quæ pertinent ad perfectionem intellectus, & hæc sunt species, & genera rerum, & rationes earum, quæ in Deo videbit quilibet videns essentiali diuinam. Cognoscere autem alia singularia, & cogitata, & facta eorum, non est de perfectione intellectus creaturæ: nec ad hoc eius naturale desiderium tendit: nec iterum cognoscere illa, quæ nondum sunt, sed fieri à Deo possunt. Si tamen solus Deus videretur, qui est fons, & principium totius esse, & veritatis, ita repletur naturale desiderium sciendi, quod nihil aliud quæreretur: & beatus esset, unde dicit August. 5. confes. Infelix homo qui scit omnia illa, scilicet creaturas: te autem nescit. Beatus autem qui te scit, & etiam si illa nesciat. Qui vero te, & illa novit, non propter illa beator est, sed propter te solum beatus.

Conclusio est, Beati non omnia possibilia cognoscant in essentia diuina, vident tamen aliqua, & quisque eo plura, quo perfectius essentiam Dei videt. Communis opinio fert, ad comprehensionis naturam, necessarium esse, videntem nihil latere eius, quod sua visione comprehendit, ut disputat. 52. videbimus. Eorum vero, quæ completi debet comprehensionis, & ad rem comprehensionem pertinent, quædam sunt ipsi intrinseci, & in ea formaliter, ut propria prædicata, quædam autem sunt extrinseci, ut effectus, & hoc pacto creaturæ possibiles ad Deum referuntur: operæ pretium igitur erit, ex-

tequam de comprehensione in disputatione 52 differamus, examinare, an beatus præter ea, quæ in Deo sunt formaliter possit omnes illius effectus cognoscere, & quia de hoc disputat S. Thomas artic. 8. ideo placuit hos duos articulos simul explicare, & disputationes nostras sequenti ordine disponere.

DISPUT. XLVIII.

An videns Deum sicuti est, quæ sunt in ipso formaliter, necessario videat.

Quid Scotus, & alij cum ipso sentiant, cap. 1.

Communis, & verior sententia, cap. 2.

Explicatur locus Ioan. 14. Qui videt me, videt & Patrem meum, cap. 3.

Respondetur argumentis Scoti, cap. 4.

CAPUT I.

Quid Scotus, & alij cum ipso sentiant.

IN hac disputatione differendum est de attributis, & personis, an secundum omnem sui perfectionem, à Beatis necessario videantur cum essentia: in qua varie sunt Scholasticorum opiniones. Prima sit Scoti in 1. d. 1. q. 2. qui duo asserit, vnum in §. Quantum ad tertium, nempe, non posse creaturam propria sua virtute, & facultate videre essentialiam, quin videat personas: neque voluntatem creatam frui essentialiam, quin fruatur personis. De intellectu id probat, quia non est facultas libera, sed manifestato obiecto in ipsum fertur naturaliter, & necessario, ea ratione qua manifestum est: Deus autem ostendit seipsum in tribus personis: ergo non est in potestate intellectus in ipsum non ferri, prout est in tribus.

De voluntate vero ipsam probat, quoniam quamvis sit facultas libera, & in eius potestate sit fructio, & dilectio Dei etiam in patria, ut ipse quoque docuerat eadem dist. q. 4. §. Negatiua ipsius articuli, tamen ei liberum non est, hoc aut illo modo frui, sed posito obiecto, si illo vult frui, eo modo debet frui, & diligere, ut obijciatur: quare si in tribus personis obijciatur, debet necessario ipsis personis frui, si in actum exire velit: nam licet in potestate alicuius sit operatio, qualis est actio peccati, ut illam faciat, & non faciat, ei tamen liberum non est, quin malitia sequatur eius operationem, si operetur. Hinc colligit, non solum de facto Deum videri in tribus personis, sed etiam non posse sine miraculo, alio modo videri: miraculum vero esset, si Deus ostenderet suam essentiam, non demonstrando personas.

Alterum docet Scotus in illa questione 2. §. Posterior Quantum ad ipsum articulum, videlicet posse à Deo fieri absoluta sua potentia, & præter communem cursum, & legem, ut sola videatur essentia, non visis personis, & una videatur sine alia: fore nihilominus perfectissimam beatitudinem. Hac autem sola visione fieri posse aliquem beatum, probat Scotus, quia Pater æternus in priori originis antequam intelligatur habere filium, sua ipsius essentia intelligitur beatus, nondum intellectis personis, ergo homo videns solam essentialiam sine personis, eodem modo esset perfecte beatus: posse autem essentiam diuinam videri, non visis personis, ex ipsius doctrina probare possumus: nam cum essentia à personis distinguitur, ex na-

Scotus.

Prior pars opinionis.

2

3

Primum ar-

gumentum.

ex na-